



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Syrvs Episc. 9. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

mis deinde Indulgentiis ornavit Sixtus IV. Pont. Max. in VIII. continuos dies, quos etiam ipsos luculento miraculo Numen probavit. Etenim Nicolaum Pratensem memorant, ad icona immaculatæ VIRGINIS rosam cum his precibus deposuisse, vellet juberet, si gratum ei esset, octo dies memoriam Conceptionis suæ agi, numquam eo anno rosa illa marcesceret. Floruit semper, & cum rosâ multorum etiamnum in hanc diem pietas florer, quam ipsa ædium limina in Hispaniâ his verbis loquuntur: *Benedictum sit S. mysterium immaculatæ Conceptionis MARIAE.* Quid? quod aliter sentientes Doctores rectius nuper ab Hispanis infantibus erudiri vidimus. Se certè accuset, qui maculam hodie videt; suam dicat. Non habet purum, sed ostendit maculas, speculam. *Ex Baron. & Spinello.*

*Opem intercessionis MARIAE poscimus singuli, poscimus omnes: oremus ut sit protectrix in prosperis, submoveat noxia, suggerat profutura, admitrat preces supplicantium intra sacraria divinitatis, rebusq; impetret consortium sua beatitudinis. S. Hildephon. serm. 6. de Assumpt. B.M.V.*

## S. SYRVS EPISC. 9. Decembris.

**S**Acra nostra SYRVS à D. Hermagorâ est edoctus, ipse Papienses docuit, multum eâ in re S. Iuventii operâ usus, quem socium expeditionis Hermagoras addiderat, cuique à morte SYRVS noster mediis Martyres inter triumphare est visus. Veronâ transeunti, ut de fide nostrâ dicenti fidem haberent incolæ, testem è tumulo mortuum excivit, & cum primùm Papiam est ingressus, senis civibus gravissimè decumbentibus salutem



tem corporis, multò pluribus deinde animorum tulit, qui verbis mirisq̃ue ejusmodi inducti facilè Christianis accesserunt; tunc præsertim, cum novo hospiti cedere hospitem Orcinum viderunt, qui è puero Syri imperio illicò ad ergastula sua migravit. Addo è plurimis aliis illud, quod unum Papiensibus admirationem parare poterat; nobis justissimum metum potest, si impiati sacramensam frequentemus. Ausus est Hebræus inter Christianos profanus accumbere, divinum cibum ore exceptum non stomacho, sed cæno post sacra daturus. Prohibuit Numen, & vindices ignes se ore servare scelus advertit, qui tamdiu miserabili incendio impurum exufferunt, dum quæ palato impio pendeat, Hostiam sacram SYRI manibus reddidit. Quid hîc Christiani? porrò mensam cum Iudæo impuri acceditis? Non sentitis ultq̃ res hos ignes? graviores sentietis. *Ex Suario.*

*Si qui regiam purpuram coinquinant, haud secùs quàm in eam scindunt, puniuntur? quid mirum sè qui immundâ conscientia Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeant, quod qui eum clavis cruci affixerunt? S. Chrysoft. hom. 45. in Ioan.*

S. MENNAS MART. 10. Decembris.

**M**ENNAM Maximinus Antiochiæ præfecit suis, ut quidem putabat, sacris, reverà Christianis addictum. Erravit feliciter tamen Imperator, neque Respublica umquam meliùs illîc stetit, quàm cum Christianis jus Christianus Proconsul diceret, & alios verbis, alios miraculis, omnes vitæ exemplo ad Christum traheret. Id ubi aliquantò seriùs rescivit Maximinus, qui rem

Cc 3 Deorum